

1.
1.
2.
10.
1.
10.
1.
2.
3.



1648.

1. Delbafius, Petrus: De veris et iustis regnum
et rerum publicarum mutationum causis

1681.

1. Schelquigius, Samuel: De legibus inter amicos
loquentibus

1684

1. Hoppius, Tractatus: De iure ignorantum.
2. Hoppius, Tractatus: De iniuriis capitalibus
2 Sept 1684 - 1712

1686.

1. Hoppius, Tractatus: De obligatione statutorum

1688

1. Schelquigius, Samuel: De consilio Genseric. p. I
2. Schelquigius, Samuel: De materia I. S. Baptismi.
3. Semellius, Johannes: De antropophagia et causa
necropolitae incidenda.

1689

1^a 18 = Schultzius, Johannes: De contracta medicam aegrotis
2 Graph.

2. Schultzius, Johannes: De iustitia casuum pro amico.

3^a 26 = Schultzius, Johannes: De delictis pro amico.

1690

1. Schultzius, Johannes: De rebellionis Prudigalensis

2. Schultzius, Johannes: De obligatione studiorum stipendii
diarii

1691.

1^a 6, c = Schultzius, Johannes: De martyrio iuridico et politico

1692.

1. Schultzius, Johannes: De sacrificiis s. victimis status.

1693

1. Schultzius, Johannes: De manu oculata.

1694

1. Schultzius, Johannes: Triga casuum Mentium I de partu
a matre negato II De incertitudine matris III de primo genitura,
cui e Geminis a Jura dicenda.

1698

1. Dienstdorff, Johannes Gottfrieds: De iudice erubescen-
cente.

1699

1. Dienstdorff, Johannes Gottfrieds: De iudice erubescen-
te.

2. Dienstdorff, Joh. Gottfrieds: De beneficio miserabili.

1/19
1/19
1/19

2.
364
2

16/1
1.
2.
1/19

1/19
1/19

1/19
1.

1/19
1.

1/19
1.



DISTINCTIO POLITICA

IN REBUS PUBLICIS

ET REBUS PRIVATIS

CAUSIS

AB ALEXANDRO MORGENTHAU

SCRIPTA

PRAGIA

PETRO OLIVARIO, J. U. D.

RECTORIS UNIVERSITATIS

PRAGAE

1784



Quod felix faustumque esse velit ²⁵

Perfectissimus & Supremus omnium Judex,

Cui cordi est,

ut Boni & Prudentes Sacrosancto Judicandi Munere fungantur:

EFVS PRÆSIDIO 1699

DE

J U D I C E

ERUBESCENTE.

SUB MODERAMINE

DN. JOHANNIS GOTHOFREDI

â DIESELDOREFF,

Jur. & Histor. Prof. Publ. & Athenæi

Inspectoris,

Fautoris sui ac Studiorum Promotoris

ætatem colendi,

In Auditorio Athenæi dicti Maximo

publice alterâ vice disputabit

Ad D. XXVI. Februar A. O. R. M DCIC.

A. & R.

MATTHIAS MANN, Elbingensis.

G E D A N I,

Excudit JOH. ZACHAR. STOLLE,

Athenæi Typographus.

GENEROSIS, PERMAGNIFICIS, MAXIMEQUE STRENUIS,
DN. DANIELI **SCHLESSE** /
DN. CONSTANTINO FREDERO,
DN. DANIELI NIMSGARTEN,
DN. JOACHIMO HOPPIO,
DN. FRIDERICO **WITTEBENGEREN.**

*INCLUTÆ HUIUS CIVITATIS CONSULIBUS GRAVIS-
SIMIS ET SPLENDIDISSIMIS*

Nec non

VIRIS NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS

DN. GABRIELI von **DEMELEN** /
DN. CAROLO ERNESTO BAUERO,
DN. JOHANNI GEORGIO von **WERN** /
DN. JOHANNI ALBERTO **ROSENBERG**
DN. CONSTANTINO SCHUMANNO,

*NOBILISSIMI QUOD IN URBE PRIMARIA EST
DICASTERII ASSESSORIBUS FULGENTISSIMIS.*

*DOMINIS SUIS PATRONIS ET MÆCENATIBUS
OPTIMIS MAXIMIS*

Dat, dedicat, consecrat

Autor.



179.
t.
Singularis vestra, & quæ vos nunquam deserit, Indulgentia, VIRI MAGNIFICI & NOBILISSIMI, facit, ut infelici huic ingenii mei partui, fata tamen rursus ominari audeam felicia. Postquam enim jam pridem virtutes vestras egregias, quas docta sedulitas, ad Reip. clarum occupatas, cum publico bono illustrare solet, humillimo fui de veneratus silentio, in lucem tandem sese protrudit hæc animi verecundia, & in sinum vestrum, id, quod ingenii enixus est conatus, refundere non dubitavit. Veniam quippe sibi facilemque audientiam à Vobis, PATRES PATRIÆ, qui benignè rudimentis nostris adspirare consuevistis, exoptat JUDEX JURISPERITUS ERUBESCENS, nè iniquiori videatur conflictari fortunâ, ac quidem JUDEX ERUBESCENS VIR BONUS,

A 2

quem

quem non ita pridem sub auspicio Inclutæ hujus
Civitatis Procerum præli quidam abortus re-
præsentavit. Quod si enim pro ceterâ benigni-
tate vestra, quam urbis etiam genius luculen-
tam declarat, ineptias hasce inter studiorum
nostrorum tyrocinia prognatas benevolè suscepe-
ritis, sublimi certè cum Lyrico Vate, feriam sidera
vertice, nec virulentos malevolorum curabo cen-
sorum morsus, ubi favoris vestri aura easdem
modò fuerit prosecuta. Proinde nihil magis su-
perest, quàm, ut Vos, Generosa Pectora, quorum
ingeniis virtus & doctrina libenter fasces sub-
mittit, hasce obsequii futuri prodromas nugas be-
nignâ accipiatis fronte, æternum precaturus Nu-
men, ut longam Vobis ætatem, longam Nomini-
bus Vestris largiatur gloriam, & ut sub illâ felice
consiliorum curarumq; vestrarum societate, vir-
tute duce, comite fortunâ, Urbis hujus regimen
felices vos experiatur argonautas.

**MAGNIFICENTIARUM
VESTRARUM**

humillimus ac devotissimus
Cliens & Cultor

Matth. Mann



§. 1.



Offert se Tibi L. B. Disputatio Altera
de *Judice Erubescente* : agit illa se-
cundum Instituti legem de JU-
RISPERITO, qualem ad judi-
candum omnino requiri, præter
textus, quos in §. *disputat. præced.*
3. ex Jure Divino pariter ac Civili
adduximus, recta ratio cuius insinuat, requirens, ut
Judex juris constituti secundum quod judicare oportet,
exactam habeat cognitionem, utq; ejus ad factum
obveniens applicandi rationem probe calleat.

§. 2. Uti verò Jurisperitus, ita ejus in cognoscendis
ac decidendis causis vel maximè studiosus exigitur:
unde veteres legem esse mutum judicem, judicem au-
tem loquentem legem, & ire ad judicem esse ire ad
ipsum jus, ut qui animata debeat esse lex, dicebant: quo
indigitabant à bono judice ita prorsus omnia judicari
oportere, ut lex ipsa si loqui posset judicaret, atque
ita legem & judicem inter se conspirare debere, ut sit
lex quasi anima judicis, judex quasi vox legis.

A

§. 3. EX

§. 3. Ex dictis intelligi fere potest, Judicem erubescere debere à Jure constituto ac Lege scripta recedere: frustra quippe jura conderentur, si judici illa pro lubitu refigere, aliaque quægenio magis convenirent, substituere liceret. *Bonus judex*, dicitur in *can. 4. c. 3, qu. 7. nihil ex arbitrio suo facit & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat; Statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; obsequitur legibus, non adversatur: & paulò post, Qui judicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est.*

§. 4. Quando autem judicem à Jure constituto pro arbitrio recedentem improbamus, ita id accipi nolumus ut omne Judicis arbitrium aversemur; alia quippe nos docet Ulpianus in §. ult. *L. 1. ff. de jur. delib.* arbitrio judicis prorsus relinquens quod in lege scripta non est definitum: Sunt namque innumerabiles prope modum casus, qui cùm Legibus comprehendere omnia impossibile sit *L. 12. ff. de LL* apertam in Lege scripta determinationem non habent: Circa hos igitur Judicis arbitrium multum sibi vindicabit, quod ubi tamen pro re nata ita interponet, ne ab eo quod justum & æquum est, latum, quod dicitur unguem recedat, sed religiosum planè ac juridicum omnimodo se exhibeat; nam quoties à Jure permittitur juxta liberum arbitrium procedere, ita censeri debet permissum, ut quam proximè ad juris ac æquitatis rationem in decernendo accedat.

§. 5.

1078.
t.
-
§. 5. A scriptis tamen legibus liberum iudicis arbitrium idcirco excludimus, quod illarum non arbiter sed minister sit *arg. L. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. vel priv.* cujus præsertim officio incumbit, ut ex potestate publica sibi concessâ Jus Constitutum sanctè custodiat, facto obveniendi rectè id applicet omnesque inter partes litigantes controversias juxta leges scriptas dirimat, neque ex suo arbitrio sub cerebrinæ forsan æquitatis prætextu quicquam decernat cui lex aliqua scripta repugnet; non obstante quod lex tam dura sit, ut æquitatis rationi è diametro adversetur; legem quippe licet præduram, servandam tamen esse inculcat Jure-Consultus in *L. 12. ff. qui & a quib. manumiss. non fiunt lib.*

§. 6. Quod si tamen Casus quidam occurrat in lege scripta non satis aperte determinatus, quod fieri potest, si verba forte legis obscura vel ambigua sint, ut ut interim de sententia & mente legislatoris abunde constet; vel si appareat legem plus velle quam verbis expressum; Judex haud erubescet a verbis legis recedere, modò sententiam ac mentem legislatoris eruat eamque sectetur: ad hoc quippe vi officii Judex adstringitur, ut sensum potius legum quam verba, quippe quæ ad hoc inventa sunt, ut menti & rebus proferendis inserviant, non ut mens & res ipsis subjiciantur & accommodentur, in cognoscendo respiciat: Quò facit rescriptum Imperatorum Theod. & Valent. in *L. 5. C. de LL.* hisce formalibus extans: *non dubium est in legem*
com-

committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem: nec poenas insertas legibus evitabit, qui se contra juris sententiam seiva prerogativa verborum fraudulenter excusat. Et Paulus in L. 29. ff. de LL. in fraudem, inquit, legis facit, qui salvis verbis sententiam ejus circumvenit. add. L. 30. ff. eod.

§ 7. Quibus omnibus nunc ita positis, facile patebit, quid sentiendum sit de quæstione, Utrum Judex, si conscientia ejus forte pugnet, cum lege scripta, ab illa recedere ac aliam ipsius conscientia conformem substituere possit? Sanè cum juris autoritas non sit in potestate judicis, nec hic proprio nomine, sed vi legum, quibus ex jure jurando alligatus est, cognoscat; nequaquam ipsi concedimus facultatem à Jure Constituto eapropter recedendi, quod conscientia ejus illi repugnet: nam si à legum tramite propter domesticam conscientiam judicis discedere liceret, & liberum esset cuique secundum propriam conscientiam judicare; judicia dependerent ex mero judicantium cerebro & conscientia singulorum jus faceret, quod absurdorum absurdissimum esse quis est qui non videt: Nihil agit si quis nostræ obducatur sententia, judicem tali tamen casu facere contra conscientiam suam & consequenter peccare: respondemus namque cum Baldo *ad Cap. Clerici X. de vita & honestate Clericor*: conscientiam legis vincere conscientiam hominis; illa quippe est publica & communis quam judex semper sequi tenetur; hæc privata & singularis, imo quatenus legibus adversatur erronea: Hinc DD. veram

veram conscientiam circa juris quæstiones illam de-
mum esse, quæ cum legibus conspirat, nec conscientiam
judicis unquam lædi affirmant, si legum præcepta in
judicando observet.

§. 8. Ea quæ hæctenus de conscientia Judicis
cum jure constituto pugnante in genere diximus, pari
ratione adplicanda videntur ad specialem illum casum,
quo Judex legem scriptam irrationalem plane & inju-
stam putat, adeo ut ejus conscientia maxime illi repu-
gnet: e. gr. tortura pro eruendâ veritate ipso usu exi-
gente & judiciorum commodo videtur adinventâ no-
strisque judiciis passim probata est, & Judicis consci-
entia illum modum exprimendæ veritatis averfatur,
tùm quod res fragilis & periculosa sit quæque veri-
tatem, ut loquitur Jure Consultus in *L. 1. ff. de quæst.*
fallat; tùm quod à naturali æquitate prorsus abhorreat
cruciari quenquam, priusquam constet nocentem esse:
item furtum simplex reiteratum seu tertium juxta leges
modernas morte suspendio inferenda puniri debet, &
judicis conscientia illis legibus repugnat, pœnam illam
summopere injustam & æquo rigidiorē esse existi-
mans: Utroque in casu negamus Judici fas esse à lege
constituta discedere ac aliam legem ipsius conscientia
conformem substituere; utut lubentes largiamur, rigo-
rem harum legum, quæ uti diximus, pro eruenda verita-
te torturam præscribunt, vel furtum infami suspendio
coërcent, tenerrimæ judicis conscientia facile, nec

B

abs.



absque omni fundamento repugnare posse: nec potest dici iudicem tali in casu lædere conscientiam suam, cum hac in re similis sit executori, qui alicujus iudicis sententiam exequitur: Sicut enim ille executor exequendo iniquam sententiam, non debet examinare istius sententiæ iniquitatem & ob eam executionem intermittere *cap. 28. X. de offic. judic delegat.* Ita iudex qui minister legum & executor est, quique constitutum jus obveniendi facto applicare tenetur, non debet secum perpendere ac examinare, sitne jus constitutum æquitati ac justitiæ conveniens nec ne, sed secundum illud absolutè judicabit, haud ignarus conditionis suæ, quæ non conscientiam propriam sed communem ac publicam sequi injungit.

§. 9. Alia verò quæstio est, an Iudex, si conscientia eius pugnat cum facto, discedere ab actis & probatis erubescere debeat? Nobis quidem iam decretum non est vexatam hanc controversiam, (quæ vulgò ita proponi solet: an Iudex secundum acta & probata, an secundum conscientiam iudicare debeat?) cum ab aliis dudum protrita sit, ex professo examinare, inquirendo nimirum in affirmantium pariter ac negantium argumentorum validitatem: Obvia de hoc integra conclusio est apud B. Dn. Ziegler in *Dicastic. p. m. 597. & seqq.* cuius erudite docte actum denuo agere merito superfedemus, qui habemus in animo id tantum tradere quod pro genuinâ propositæ quæstionis decisione innocuum veritatis studium suggerit: supposito
ita-

itaque talem casum evenire posse, quo contra ea quæ legitime juxta Processum juris in judicio acta & probata sunt, judex exactissimam veritatis scientiam habeat; veluti acta probant Mevium commisse homicidium, Judex tamen certo certius novit Mevium non esse istius criminis reum: existimamus hoc in casu Judicem erubescere debere postpositâ veritate interius apud Judicem delitescere, secundum acta & probata judicare: Quid enim ab omni justitiæ ac æquitatis ratione magis alienum videtur quàm innocentis condemnatio? Satius esse impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem damnare, Divus Trajanus Asfiduo Severo rescripsit teste Ulpiano *in L. 5. ff. de pœn.* Nihil agunt qui instant, atqui Judex damnans eum, quem privatim scit innocentem esse, ex ipsis tamen publicis probationibus manifeste nocentem, nequaquam innocentem sed potius nocentem damnat; quia ut Judex tenetur in judicio fidem adhibere his, quæ ut judex cognoverit, non his quæ ut privatus perceperit; non damnatur igitur innocentem, si condemnet eum qui ex publicis testimoniis actis scilicet & probatis nocens apparet: Nam respondemus fictionem hanc non curare justitiam quæ ipsam veritatem considerat quamque per fictionem subvertere non patitur: Veritas tantum una datur, eadem ergo in judice ut judice, quæ in judice ut privato est: Denique probatio veri similitudinem tantum, minimè verò certitudinem inducit, maximè cum duo, tres vel etiam centum testes æquè mentiri

B 2

pos-

possint ac testis unus; quod si itaque eos falsa depo-
suisse iudici certò certius constat, iis nequaquam alliga-
tus est, cum ejus officium sit sententiam veritati ferre
conformem: Unde Pilatus pro injusto Judice ex jure
& merito habetur quod Christum condemnaverit se-
cundum deposita testium quæ falsa esse sciebat: Cæ-
terùm quæ à dissentientibus ex Jure tam Divino quàm
humano moventur, non refellunt sed confirmant sen-
tentiam nostram; quod probatum dare in favorem op-
ponentium cathedræ reservamus.

§. 10. Atque ex his quæ hæcenus adducta sunt, fa-
tis ut opinamur, constabit, veritatem à Judice omnibus
viribus defendendam & propagandam esse: quare e-
rubescet à suâ sententiâ, quam veram esse arbitratur, di-
scedere aliorumque opinioni studio assentandi subscri-
bere Terentiani instar Gnathonis *in Eun. act. 2. scen. 2.*
ajentis: quicquid dicunt laudo, id rursum si negant, laudo
id quoque: negat quis, nego; ait, ajo: postremo impera-
vi egomet mihi omnia assentari, is quæstus nunc multo uber-
rimus. Absit hoc à Judice, cui propriam opinionem
veritatis ratione adstructam sequi, quinimo cui passio-
nem passione reprimere incumbit, si forte collegam
amore aut odio abreptum contra verum pronunciatu-
rum advertat, collegasque suos in suam sententiam tra-
here omni ope studeat.

§. 11. Nec aliud dicendum de Judice, qui solus &
singularis in aliquâ sententia, ne ab omnibus aliis dis-
sentire & plus quam reliqui omnes sapere velle videat-
tur,

178.
t.
-
tur, à sua sententia declinat, idque quod omnes affirmant, sequitur: Esse enim in sententiâ contraria & subscribere aliorum opinioni, sibi invicem repugnat, & est quodam modo facere contra veritatem; nam illa subscriptio veritatis simulationem redolere videtur, qui verò veritatem simulat, quæ palam profitenda est, supprimit illam aut ad minimum in medio relinquit adeoque officio suo deest.

§. 12. Ex his itaque quamvis manifestum sit, Judicem plurium votis & opinionibus in judicando, justitiâ reclamante, minime alligatum esse; Scientiâ quippe non multitudine judicandum, nec semper sentiendum cum plurimis, cum nulla pronior ad errorem via fit quàm per vestigia plurimorum: attamen erubescere debet à communi reliquorum opinione temere, studio fortè contradicendi aut ex singularitate aliquâ recedere: hinc DD. statuunt Judicem contra communem opinionem malè judicantem de Syndicatu teneri atque litem suam facere, quod tamen non aliter locum habere nonnulli existimant, nisi quando communem opinionem de falsitate convincere nequit, quo casu puniri eum utique posse, mitius tamen quàm si contra legem indubitabilem judicasset, adstruit B. Dn. Ziegl. *loc. alleg. concl. 39. §. 32.*

§. 13. Observandum est Jus reddenti dicit Jure Consultus in *L. 19. ff. de offic. Pras.* ut in adeundo se facilem præbeat: hinc erubescet Judex in admittendis partibus difficillis esse Parthorumque Reges imitari,
B 3 quibus

quibus secundum id, quod refert Tacitus *Annal. lib. 2. cap. 2.* prompti aditus ignotæ fuerunt virtutes: patere igitur cunctis debent fores judiciorum, omnique tempore cognoscendis causis Judicem vacare oportebit: publicum quippe est officium quod gerit & tale quidem quod distinctionem personarum in audiendis querelis ignorat, adeo ut nisi injuriam, cui propellendæ publicâ autoritate est constitutus, ipse inferre velit, imploranti cuius officium suum impertire teneatur.

§. 14. Quemadmodum verò à iudicii limine neminem repellere, ita diligenter & attentè partes litigantes, priusquam decernat audire debet, ne aliàs idem ipsi eveniat quod olim Philippo, à quo cùm causam litigantis parum attentis auribus audiret, hic appellavit, ab eoque rogatus ad quem? ad Te ipsum, inquit, sed attentum & vigilantem: nec aliter lege Divinâ scriptum est *Job. 7. v. 5.* verbis: *num lex nostra condemnat quempiam, nisi prius ex ipso audiverit & cognoverit quid fecerit?* imo perfectissimus & omniscius Judex Adamum diligenter audivit, antequam condemnaverit *Genes. cap. 3. v. 9.* Sic interrogabat Cainum, ubi nam frater ipsius Abel esset, quidnam fecerit, priusquam ipsi malediceret *Genes. cap. 4. v. 9.* Et quî posset aliquis iudex mortalis vel homines probè vel causas bene judicare, nisi prius utrumque litigatorem intentè audiverit, nisi causam intimè perspexerit: Decerni debet sententia monet Constantinus in *L. 7. C. comminat. epist. programm. subscript. autor. rei judic. non hab. cum*

478.
t.
cum magno conflictu, h. e. assertione partium, quâ negotii merita panduntur *L. 2. C. si per vim vel al. mod.* accuratè examinatâ totâque litigantium causâ probè cognita: Inde est, quod *Impp. in L. 2. C. de sentent. ex peric. recitand.* requirant, ut iudices quos cognoscendi & pronunciandi necessitas tenet non subitas sed deliberatione habitâ post negotium sententias sibi ante formant & emendatas statim in libellum conferant scriptasque ex libello partibus legant.

§. 15. Sedulò ergò Judex cavebit, ne se in cognoscendo præcipitet, cum præcipitantiâ sit noverca justitiæ *cap. 2. clement. de sentent. & re jud.* ac in iudicando nimia celeritas criminosa reputetur; ad poenitendum enim properat, cito qui iudicat: Ne igitur in præceps ipse iudex ruat, erubescet inter lusum vel potum iudicium præcipitare: Nihil enim periculosius, nihil in iudice turpius est, quàm ut ebrius vel vino ita saucius, ut vix palpebras sustinens ad somnum totus proclivis sit, ad cognoscendum accedat: quì enim cuncta secum expendere, quì merita causæ perspicere valebit, qui adèò mero obrutus est, ut intellectus deliquium patiatur, mens officium perdat.

§. 16. Potissimum autem Judex erubescet in criminalibus, quæ vitam & famam hominis attinent, iudicium præcipitare; cunctator sit necesse est, dixerunt veteres, qui de alterius salute iudicat; Quo respectu apud *Juvenalem Satyr 6.* indignabundæ uxori servum imperiosâ voce ad mortem postulanti maritus his verbis respondet:

Nul-

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

Non itaque cum Ptolomæo ad tesseras sedente de causa capitali iudex decernet: cum enim de sanguine hominis ad imaginem Dei conditi effundendo quæritur, altius cogitandum est & relinquenda ludicra sunt; nam non similis casus est tesserarum & corporum; uti uxor Ptolomæi regerebat teste *Æliano Variar. histor. lib. 14. cap. 43.* Eleganter Ammianus Marcellinus *L. 29. de vita*, inquit, *Et spiritu hominis qui pars mundi est Et animantium numerum complet, laturum sententiam diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti studio ubi irrevocabile factum est, agitari* Nec parum huc facit, quod extat *Deut. cap. 13. v. 14. verb. Ubi inquisiveris Et pervestigaveris ac percunctatus fueris bene, si ecce vera certeque erit res illa, si commissa fuerit abominatio hæc in medio tui, omnino percutito*: Et hinc est quod non saltem apud Judæos capitalia judicia anxiam cum sollicitudine semper peracta fuerint teste *Seldeno de Synedr. Et Præf. Vet. Hebr. L. 2. cap. 13.* verum & apud Romanos executio poenæ capitalis in trigesimum diem dilata fuerit. *L. 20 C. de poen.*

§. 17. Quod de præcipiti festinatione hucusque affirmavimus, illam in iudice criminofam esse; idem si dixerimus de intempestivâ cunctatione, non opinamur erraverimus: Tantum enim abest ut morosus in cognoscendo cunctator officio iudicis, cui convenit lites diminuere *L. 26. ff. si cert. pet. probe de fungatur*, ut potius Rempublicam æque ac partes litigante, vel maxime

1078.
t.
ximè lædat; illam quidem, quoniam Reipublicæ interest, ut lites minuantur breviterque decidantur, neve fiant immortales & vitæ hominum modum excedant, ut loquitur Justinianus in *L. 13. C. de Judic.* hos quia in litigium præter culpam lapsos expeditâ Justitiâ extricare declinat, hocque pacto ad iniquissimas conditiones trahit: Ex quo enim justitiam non administrat, (tardè siquidem administrare & planè non administrare paria esse veteres iudicarunt teste Ventur. de Valent. in *Parthen. litig. cap. 1. n. 24.*) frequenter contingit, ut miseruli litigantes tam longis anfractibus vexati totque sumptibus ac expensis fatigati consilium justæ alioquin litis continuandæ abjiciant, suoque iure hoc modo defraudentur: Erubescet ergo Judex partibus suis intempestivâ ac moratoriâ cunctatione, ut loquitur Ulpianus in *L. 7. §. 1. ff. de administr. & peric. tut.* defungi; quod aliquando iis etiam accidere videmus, qui licet satis prudentes & longo rerum gerendarum usu conspicui sint, in re tamen quavis ambigui semper ac suspensi hærent sibi que alia ex aliis dubia movent, nunquam satisfaciunt, nunquam movere possunt manum de tabula: certè qui ita cunctanter in Justitiâ administrandâ morantur, bonum & jurisperitum Judicem minime præstant; nec absimiles videntur eis, qui manum porrigunt hærenti in salebris vel in foveam lapso, & tanquam Tantalos aquis immerso, idque diu tantùm agunt, ne omnino submergatur, & cum extremi halitus jam pene sunt evaporati atque animam merfus agit, tum demum ex-
tra.

trahunt: Unde & Imperator Justinianus in *L. 13. C. de
Judic. deneganti & protrahenti Justitiam eandem consti-
tuit poenam; nec sanctiones modernæ impunem planè
judicem relinquunt, qui litem protelando causæ cog-
nitionem differt; testaturque hoc inter alias quamplures
constitutio Imperatoria in der Reformation guter Po-
licey zu Aussurg Anno 1548. sub tit. von Richtern* cujus
sequens tenor est: Als auch vielmahls sich begiebet/ daß
die Partheyen/ so an den Gerichten in Rechtfertigung stehen/
nicht ohne merckliche Beschwehrung und Nachtheil zu Zeiten
durch die Richter und dann auch offtermahls durch die Ad-
vocaten und Procuratores gefährlicher und fürschlicher Wei-
se aufgehalten werden; So wollen wir allen Obrigkeiten
hiermit auferlegt und befohlen haben/ in dem gebührliches
Einssehen zu thun/ und bey ihren Richtern zu verfügen/ daß
sie denn Partheyen auf ihr Ausuchen jederzeit schleuniges
Rechtens forderlich und unverzüglich verhelffen und mit-
theilen/ auch die Advocaten und Procuratores ernstlich anhal-
ten/ die Sachen gefährlicher Weise nicht aufzuziehen oder zu
verlängern / bey Vermeidung ernstlicher und unachlässli-
cher Been und Straffe / vermöge der Rechten / und sonst
nach gestalt und Gelegenheit der Person und Sachen.

§. 18. Coeterum cum ad officium judicis non mo-
dò pertineat secundum leges scriptas & jura constituta
judicare *princ. Inst. de offic. jud.* sed etiam ea, quæ juris
sunt supplere *L. un. C. ut quæ desunt advoc.* Judex in casu,
quo litigantes intentionem suam non impleverint &
Advocatus vel Procurator omiserit, quæ ad causam fun-
dandam maximè spectant, nec legem pro se facientem
adduxerit, hoc supplere & juxta omissam legem judi-
care tenetur, præsertim ubi ea quæ juris sunt, Judici, in
cujus

1078.
4.
2.
cuius pectore tanquam in Scrinio leges & jura recon-
dita esse censentur, nota esse debent, ut proponi ea sem-
per necesse haud sit: ea verò quæ in facto versantur, uti
incognita sunt, ita à partibus allegari debent, nec Ju-
dex, ne patrocinari potius quam judicare videatur con-
tra *L. 6. C. de postul.* quicquam in his supplere valebit.

§. 19. Quietem publicam maximè conservari cri-
minum vindicta, qua mali è medio tolluntur, alii ne
mali sint exemplo terrentur, certum est: hinc monen-
te Jure Consulto in *L. 13. ff. de offic. Praesid.* Judicis of-
ficio incumbit in facinorosos inquirere & rempubli-
cam malis hominibus purgare: Etsi enim aliàs judex
irrequisitus officium suum impertire non teneatur, fal-
lit tamen hoc ipsum in inquisitione, quam adversus de-
linquentes formari publica svadet utilitas: Non desunt
quidem, qui nemine accusante iudicem ex officio in-
quirere non posse ex eo adstruere conantur, quod ipse
Salvator noster *Joh. 8. v. 7.* mulieri adulteræ dixerit,
Quis te accusat mulier? hâcque respondente, nemo
Domine; replicaverit ille: Si nemo te accusat nec ego
te condemno: enimverò quod illorum sententia nil
plane præsidii in allegato Salvatoris facto habeat, vel
ex hoc abunde apparet, quod Salvator noster adulte-
ram condemnare noluerit non ea propter, quod absque
accusatore condemnari iure haud potuisset, sed ut in-
digitaret potestatem condemnandi delinquentes per-
sonis ecclesiasticis haud competere, sed tantummodo
Magistratui seculari seu Civili, cujus partes ipsemet

Christus, qui docendi causa hunc in mundum venerat, ad se pertrahere noluit, contentus ad poenitentiam & fidem per verbi prædicationem homines excitare *Job. 6. v. 25. Luc. 12. v. 14.* Quamvis nec illi omnino erraverint, qui verba Salvatoris, *nec ego te condemno;* de absolutione duntaxat à reatu spirituali non etiam à poenâ politicâ accipienda esse opinentur.

§. 20. Cùm verò per inquisitionem fama & existimatio vel opinione ad minimum vulgi haud parum gravetur ac sugilletur; Judex, odio forte magis privato quàm officii ratione ac publici amorè adductus, erubescet crimine sive delicto non satis perspecto ad inquisitionis processum prorumpere: prima quippe inquisitionis generalis pars est indagatio criminis seu delicti, de quo Judex, antequam ad specialem inquisitionem procedat, sufficienter certus esse debet: expediti quippe juris est, inquisitioni speciali locum non esse, nisi de corpore delicti satis constet, h. e. nisi liquido appareat delictum tale fuisse commissum super quo dicta inquisitio formari possit quò spectat *Ordinat. Criminal. Carol. artic. 6. verb.* Darzu soll auch ein jeder Richter in diesen grossen Sachen vor der peinlichen Frage / so viel möglich / und nach gestalt und Gelegenheit einer jeden Sachen geschehen kan / sich erkundigen und fleißige Nachfrage haben / ob die Missethat / darumb er angenommen / berüchtiget und verdacht / auch geschehen sey oder nicht &c. Qualiter verò & quomodo de corpore delicti constare debeat ad hoc ut inquisitio specialis formari possit, de eo non conveniunt inter se rerum Criminalium Interpretes; neque pro-

prolixius id examinare nobis vacat, qui intra terminos brevioris disputationis nos continere in animo habemus.

§. 21. Cæterum cum delinquentes sæpius adeo obdurati sint, ut quæ sponte commiserunt, sponte confiteri detrectent, maximè ubi morte aut aliis corporis doloribus luenda piandaque esse delicta sua satis intelligent; Judici quidem permittitur inquisitionem veritatis per torturam instituere, ad quam tamen ubi veritas aliter erui poterit, transilire erubescet: nam quoties Judici conceditur per tormenta confessionem à Reo extorquere, ita censi debet concessum, ut delinquens crimen, de quo tamen commissio Judex certus est & nihil aliud deesse videtur, quam ut propria delinquentis confessio accedat, nullo modo confiteri velit. *L. 1. ff. de quest. Boss. tit. de judic. n. 17. p. 169.*

§. 22. Sic quoque ad executionem torturæ progredi erubescet, antequam Assessoribus & Actuarius Judicii præsentibus de spontaneâ confessione veritateque dicenda Inquisitum bonis verbis compellaverit v. gr. Er solte Gott die Ehre geben und bekennen &c. Er solte sich nicht unnöthige Schmerzen machen und martern lassen &c. Er würde die Marter unmöglich aufstehen können/thäte also besser daß er in der Güte bekennete/ als daß er sich vorher Beinigen liesse und dennoch alsdenn sterben müste &c. Conf. Carpzov. Peinlicher Inquisition Process. tit. 10. artic. 1. §. 5. verb. soll inquisitus ehe und zuvor die scharffe Frage an ihm vollstreckt wird/ gütslichen/ jedoch mit Andeutung und Bedrauhung der zuerkanten Tortur befraget werden. Quod si autem non attenta blanda Judicis compellatione inquisi-

tus in obstinatione perseveret, iudex erubescet sub promissione impunitatis veritatem expiscari; tūm quia nulli in Jure Judici hoc indultum novimus, tum quia Iudex ea quæ promittit præstare nequit, impunitatem scilicet seu remissionem poenæ, adeoque fidem fallit quam tamen servare fas exigit *L. 1. ff. de pact. junct. L. 1. ff. quod met. caus.*

§. 23. In poenis denique infligendis Iudex erubescet clementior vel severior lege esse: absit igitur ut adulterium mitiori poenâ coërceat quod suo forte iudicio in hoc delicto aliquid humani vitii versari putet, quod accusare aliquanto facilius sit quam vitare: absit ut imitetur Imperatorem, ubique potius quam cum contradicendum est, nominandum; qui poenam legis Juliæ quoad Adulteros confirmavit, quoad adulteras contra omnem rationem mitigavit, constituens; ut viri adulteri poena quidem capitali, puta gladii afficiantur; foeminae vero adulteræ virgis coesæ in monasterium detrudantur, è quo si eas intra biennium viri reducere noluerint, vel priusquam eas reducerent, mortui fuerint, ibi monastico habitu suscepto, dum vivant permaneant, duabus partibus substantiæ propriæ liberis, si habent; applicandis, tertio monasterio: *novell. 134. cap. 10. authent. sed hodie C. ad L. Jul. de adult.* Absit ut spretis Sacrae paginae minis quas vox divina morte plecti voluit *Genes. 20 v. 10. Deut. 22. v. 22.* eis vitam intempesta clementiæ laude concedat: illis quippe non assentimur qui legem divinam quoad prohibitionem adulterii
mor-

1078.
t.
2

moralem quidem omnesque homines & semper obligare concedunt, quoad poenam verò negant, hocque sensu merè politicam & hebræis propriam esse contendunt, adeoque cum peculiaris ratio acerbioris poenæ adulterii apud judæos hodie cesset, id quoque mitiori poena coërcendum existimant conf. *Disput. Inaugural. de adult. lege divina & humana coërcendo* Dn. Præsid. c. II. §. 4. ibique allegat. DD.

§. 24. Coronidis loco quæri poterit, an Judex erubescere debeat in casu, (quem vigilantia tamen carnificis ita præcavere solet ut inter insolitos meritò referatur) ubi fur rupto vel non satis cautè obtorto laqueo vivus decidit, furem dimittere? Et respondemus affirmando; quia sententia, daß der Dieb mit dem Strang vom Leben zum Todt soll hingerichtet werden: P. H. G. D. art. 162. effectum suum sortiri debet: aliud nec laturo iudicium si ad instantiam puellæ, (condemnatum sibi maritum dari exposcentis,) Judex remittere poenam paratus sit.

§. 25. Plura quidem circa præsentem materiam adduci posse, non diffitemur; sed ne cum fastidio legentis prolixiores simus, vela contrahimus; Lectorem Benevolum obnixè rogantes, ut si quid fortè erratum aut minus appositè scriptum reperiat, communi hominum conditioni cum Sacratissimo Imperatore in *Constit. Tanta* §. 14. de confirmat. Digestor. haud invitus adscribat: Fortè *Annus cum melior veniet melior a feremus.*

Per-

375
Perge bonis avibus coeptam pertexere telam,
Teque iterum praesta nomine reque Virum,
Ornant arma Virum: Pugnantes digna sequentur
Præmia; Justitia Judice Victor eris.

Præstantissimo Disp. Autori felicissima quævis ominatus p.

DISPUTAT. PRÆSES.

Ad Politiff. Dn. REPENDENT.

Erubuit Juvenis? Res, Afro judice, salva est.
Erubuit Judex? Res periere tuæ,
Judicis at Tua nunc sic tractat cura ruborem,
Salva sit ut Tua res, absque rubore Tuo.
Judicis, hoc certum est MANNI, saturata rubore
Est juveni laudum purpura parta Tibi.

*Rubore Judicis Erubescens Juvenis sua pretextam or-
navit Dn. Respondenti applaudit ex animo*

C. BEHR, Eloqv. & Poës. Prof.

Dreht! Dein sterer Fleiß muß güldne Früchte tragen/
Ob gleich ein Momus will aus Mißgunst viel nachsagen/
Der wend hie sein Gesicht und schaue diesen An/
Der sich in That und That auffführet wie ein Mann.

*Diese wenige Zeilen / hat dem Hn. Antwortenden als seinem
werthen Freunde zu Ehren setzen wollen*

Johannes Jacobs v. Danzig.

Vidimus Astræ nuper Te rostra prementem
Gratarique sibi tunc Dea visa fuit;
Nunc repetes eadem pulchro conamine, ponet
Hinc ea Victori lata trophæa Tibi.

Sic ominatur

V. SCHLIEFF, Ged.


Judicium Judex semel in re dicat eadem,*
Judicis at munus saepe docere licet.
Dum tractas igitur de Judice, Amice, secundò,
Judicia applaudent & repetita Tibi.

** l. 55. ff. de re judicata*

adjecit

JOANNES WAHL, Ged.

☞ (O) ☞



ULB Halle
002 373 289


3



S. 6.

VDA 7





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

25
tuncque esse velit

ipremus omnium Judex,
cordi est.

ncto Judicandi Munere fungantur:

RÆSIDIO 1699 A.

DE

I C E

SCENTE.

DERAMINE

GOTHOFREDI

ELDORFF,

Publ., & Athenæi

ctoris,

diorum Promotoris

colendi,

enæi dicti Maximo

vice disputabit

uar A. O. R. M DCIC.

& R.

ANN, Elbingensis.

ANI,

CHAR. STOLLE,

ypographus.